



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Scaliger Ioanni Corasio. S. LXX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

transferens, ad tolerantiae significacionem; quam fortitudinis speciem agnoscit Aristoteles, neque Stoici aspernantur. Vides quantum apud me valeat vel humanitas tua, vel auctoritas: quarum haec potuit mihi iubere, ut aliquid auderem, illa vero etiam cogere, ut ineptirem. Nam ciuilis potentia & imperia multam vim adhibere possunt animis hominum: humanitas vero illos etiam in se ipsam transformare. Neque vero tam mei plenus sum, ut mihi hanc sumam gloriam, quasi tibi satisficerim: sed summam capiam laetitiam, quod tuis iussibus obtemperarim. Beatus mihi videar, si nunquam a me huiuscmodi animum abiiciam. Vale, vnicum bonarum artium atque humanitatis decus. Ex Viuesiano. *Manu Iosephi.*

*Deditissimus eximiis virtutibus tuis*

IULIVS CÆSAR SCALIGER  
*lecto decumbens.*

SCALIGER IOANNI  
M. CORASIO S. LXX.

*E*t sicut propter egregiam eruditio[n]em,  
dictionisque suavitatem interest vniuersitate Reip. literariae lectio tuarum lucubratio-

P. 3

num,

num, quibus Epicteti sapientiam locupletasti mihi tamen imprimis, & magno usui, & maximo honori fuit. Nam & multa didici, quæ abhorrent a vulgari hominum opinione: & quam tu nouam mei faciebas magnitudinem in tuis scriptis, admirari coactus sum, qui veterum tenuitatem in meis meritis volens atque etiam libens hactenus despiceram: propter quod beneficium quanto maiorere afficiebar, cum me impare in intelligerem ad agendum gratias tibi pro ea dignitatis atque scientiarum opinione, quam de me feceras studiosis, tantum ausus sum capere voluptatem, quod ad referendam gratiam me etiam superiori iudicasse. Quippe & quantum de me tu, & quantum ego de te prædicare possum, id omne non a me, sed a te proficisci, atque in te uno consistere debere arbitror. Igitur quemadmodum tibi placuit magnifice de me sentire: ita mihi liceat longe maiora atque cumulatiora de te reponere. Quis enim non videt mea opera pusillum, tua commendatione auctum, te tuis operibus maximum meum de te iudicium, atque prædicationem grandiorem atque illustriorem efficere potuisse? Proinde modus mihi querendus fuit in epistola, quo gratia erga

erga te animi darem significationem , non argumentum in quotidianis orationibus , quæ solo tuo nomine capere possent corpus eloquentiæ , atque etiam splendorem . Verum de meo in te animo , ac non vulgari propensione alias . Nunc , quod reliquum erat , de tuo libello ita sentio . ex curioso Imperatore & compendioso admodum Philosopho factos esse tum studiosum interrogatorem , tum accuratum sapientem , qui omnes vitæ nostræ ciuilis rationes maximorum virorum autoritatibus , frequentissimis exemplis , variarum rerum serie , atque connexionib[us] explicatissimas haberet . Quamobrem non dubito , quin , quod illi suppresserant orationis breuitate , tu expresseris vbertate totius cognitionis , quæ ad opinionem sapientiæ pertinere videatur . Quocirca mihi perbeatus visus sum , cum meipsum plurimis ac præclarissimis elogis decoratum vidi tua opera tantis immistum Heroibus , quantos per pauca sæcula extuler[em]. Vnum igitur tibi potius , quam mihi , restat , vt quoniam meo fato ad id fastigii inequo aspirare , in quo me constituebas , pari humanitate facias , vt hoc perpetuum sit tuum beneficium . Vale .

*Manu Iosephi.*

P. 4

ILLV-